(31) Commissio propria domini Regis

Serv. Arhivelor Statului R.P.R. Cluj

Wladislaus dei gracia Rex Hungarie et Bohemie etc., fideli nostro Magnifico comiti Stephano de Bathor Iudici curie nostre
et wayuode Transsiluano, Salutem et graciam, Expositum est Maiestati nostre in persona Nobilis domine Elene filie condam
Michaelis de Urok consortis vero Nicolai de Omboz, ac Johannis filij et puellarum Anne et Katherine filiarum suarum,
Quomodo hijs superioribus Annis Serenissimus condam dominus Mathias Rex predecessor noster, vniuersa bona et omnes
possessiones ipsorum exponencium in dictis partibus Transsiluanis habita et existentes, iniuste et preter omnem ordinem racionis
et Iuris occupasset, atque occupatas et ablata Nobili domine Iustine alias relicte condam Pangracij Chech, nunc vero consorti
Johannis Erdelij contulisset et assignasset, Quasquidem possessiones et bona ipsa domina simulcum eodem Johanne
marito suo usque in hodiernum diem, in grauem iniuriam et dampnum ipsorum exponencium conseruaret et teneret,
Supplicatum igitur est Maiestati nostre pro eorundem parte, ut eisdem superinde graciosum Iuris et iusticie remedium
prestare dignaremur, Nos autem qui neminem Regnicolarum et subditorum nostrorum suis iustis Iuribus priuari
et destitui iniuste et sine debita racione volumus, Sed pocius eciam illos qui aliorum iniquitate suis
iustis Iuribus priuati sunt Iuris equitate requirente eisdem bonis restituere intendimus, Ideo Mandamus fidelitati
vestre, ut acceptis partibus, ad aliquem certum et breuem terminum, atque deputatum definitumque locum, ubi et quando
maior pars Regnicolarum ipsarum parcium vobiscum vna comparebit, partes ipsas coram vobis [illegible], atque ipsis [illegible]
Audiatis eorundem posita, responsa et probata, Deinde eciam ipsarum terra debito modo examinetis ac vnanimi
vniuersitate dicti Regni nostri, eorundem Senioribus et Iurisperitis earundem parcium congregatis, atque id quod reperietis
inter partes sentencialiter decidatis, faciendo id quod Iudicialiter decreueritis debite execucioni mandari, demandari,
Auctoritate nostra partibus vobis in hac parte attributa ac Iure et iusticia mediante, Secus non facturi, presentibus
perlectis exhibitori restitutis, Datum Bude, feria tercia proxima post festum Annunciacionis Beate Marie
Virginis, Anno domini Millesimo Quadringentesimo Nonagesimo secundo.



1492

1492 Mart. 27

K I. 23.

Regis Ladislai in Anno
1492 emanatum Man
datum pro parte Hele
nae Relictae Nicolai Orbo
zi Consortis eorum Jo-
hannem Erdelyi, ut ip-
ne Bona a Mathia
Rege occupata Johanni Erdelyi per ipsum
concessa quae illum con-
cernerent ~~Regni~~ iis impenda-
tur ~~[illegible]~~ [illegible]
ex quo ejusdem Helenae le-
gitime reddentur.

3tio / az 7-dik Kiraly parancsolat
pro Bator Istvannak
[illegible] Bekes omboz i mint
[illegible] tetszik
az Regeinek